



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 90. Maduani Ducis confilia pro firmanda aucaptus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

igitur fide interposita Dux arci Burgum sibi fidum hominem unacum præsidio imponit, ac aliquot post diebus in novem ex Sexdecimanis mortis sententiam pronuntiat, die autem quarta Decembris hosce reos comprehendi jubet, ex quibus tamen nonnisi quatuor capi poterant: hi autem erant Lusarius, Auruxius Mensarius, Emonotus Procurator, & Amelinus, qui Luparam conducti ibidem compressis laqueo faucibus a carnifice necabantur, reliqui vero quinque fuga elapsi sunt unacum Bussio Clerico, qui vitæ periculum sibi imminere veritus Bruxellas auffugit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.

## §. XC.

*Maduani Ducis consilia pro firmanda auctoritate sua.*

Hac æqua severitate Maduanus Dux suam auctoritatem tantum firmabat, quantum Sexdecimanorum crudelitas fœderatorum Duces populo exosos reddebat: equidem Joannes Bucherus Parochus ad sancti Benedicti Ecclesiam ex fœderatis vehementior cum ingenti petulantia de Maduano Duce querebatur, quod suos socios, quos Martyres ob Dei causam trucidatos vocabat, atroci supplicio afficere ausus esset: verum Dux ei in responsis dabat, obediendum esse illis, qui in Re-

Thu. l. 102.

Sæcul. XVI  
A.C. 1591.

ligionis defensione militant, ac paucorum pœnam ad ceterorum terrorem esse necessariam: postea edictum promulgari iussit, quo Sexdecimanorum crimen detestatus, ceteris, qui nondum supplicio affecti erant, sceleris veniam indulgebat, exceptis Cromæo, & Cochierio, ac alio quopiam: insuper indicta mortis pœna particularem, aut privatum conventum habere prohibuit. Hoc edictum die decima Decembris in Senatus tabulas referebatur, postquam Dux quatuor novos Præsides sibi admodum addictos creaverat: præterea datis ad omnes Provinciarum Rectores literis suam agendi rationem vindicabat, ac sexdecim horum Præfeكتورum factionem populo exosam reddere satagebat: ut vero eosdem eo arctius suis studiis devinctos teneret, illos jurare coegit, quod ipsum nunquam derelinquere, nec eo inscio Regis electionem ratam habere, minus vero secreta cum Hispanis consilia fovere velint.

§. XCI.

*Ebroicensis Episcopus occupata Luperia captus.*

*Thuan. l. c.* Cum interea Maduanus Dux in hac Franciæ Metropoli suam auctoritatem hac ratione firmaverat, Rex Rothomagum obsidere statuit, ut Normaniæ